Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36561
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

non possent, et diu magna nimis inundatio fieret, ultra eandem designationem circuli in qua vir Domini fulgentius stetit, nec una quidem pluviae gutta descendit. Quod dum regi crudelissimo nuntiatum fuisset, illa mens effera ad magnam eius reverentiam reversa est, cuius poenam prius insatiabili furore sitiebat. Sic omnipotens Deus contra elatas carnalium mentes potentiae suae miracula per despectos operatur, ut qui se superbe contra praecepta veritatis elevant, eorum cervices veritas per humiles premat. Nuper quoque Floridus venerabilis vitae episcopus narravit quoddam memorabile valde miraculum dicens. Vir sanctissimus [Herculanus] nutritor meus Perusinae civitatis episcopus fuit, et conversatione monasterii ad sacerdotalis ordinis deductus gratiam. Totilae autem perfidi regis temporibus eandem urbem annis septem continuis Gothorum exercitus obsedit, ex qua multi civium fugerunt, qui famis periculum ferre non poterant. Anno vero septimo necdum finito, obsessam urbem Gothorum exercitus intravit. Tunc quoque comes qui eidem exercitui praeerat, ad regem Totilam nuntios misit, exquirens quid de episcopo vel populo fieri iuberet. Cui ille praecepit dicens. Episcopo prius a collo usque ad calcaneum corrigiam tolle, et tunc caput illius amputa. Omnem vero populum qui illic inventus est, gladio extingue. Tunc isdem comes venerabilem virum Herculanum episcopum super urbis murum deductum capite truncavit, eique cutem iam mortuo a vertice usque ad calcaneum incidit, ut ex eius corpore corrigia [sublata] videretur, moxque corpus illius extra murum proiecit. Tunc quidam humanitatis pietate conpulsi, abscisum